

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Detractio ac  
cum fonte primo

Detractores autem quodam simulate uerecundie  
fucō conceptam maliciam  
quam retinere non possunt, adumbrare conantur.  
Videas a detractore alta premiti suspiria,  
sicque cum quadam grauitate et tarditate, uultu mesto,  
demissis superciliis et uoce plangenti, egredi maledictionem;  
et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur  
ab hiis qui audiunt, corde inuito et magis condolentis affectu  
quam maliciose proferri.  
Doleo, inquit, uehementer pro eo quod diligo eum satis  
et nunquam potui de hac re corrigere eum,  
et alias michi quidem bene compertum fuerat de eo istud,  
sed per me nunquam innotuisset.  
Ac quoniam per alterum patefacta res est,  
ueritatem negare non possum; reuera ita est.

Bernardus super Cantica sermone XXIII.

Et sunt species pestis huius,  
dum alii quidem nude atque irreverenter,  
uti in buccam venerit, virus evomant  
detractiois, alii autem quodam simulate uerecundiae  
fucō conceptam malitiam,  
quam retinere non possunt, adumbrare conentur.  
Videas alta praemitti suspiria,  
sicque quadam cum grauitate et tarditate, uultu maesto,  
demissis superciliis et uoce plangenti, egredi maledictionem,  
et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur,  
ab his qui audiunt, corde inuito et magis etiam condolenti affectu  
quam malitiose proferri.  
«Doleo», inquit, «uehementer, pro eo quod diligo eum satis,  
et numquam potui eum de hac re corrigere.»  
Et alius: «Mihi quidem», ait, «bene compertum fuerat de illo istud;  
sed per me numquam innotuisset.  
At quoniam per alterum patefacta est res,  
ueritatem negare non possum: dolens dico, reuera ita est.»

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*,  
24.4 (SBO 1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.155,  
ll.10-17, 1-4).